LITANIÆ LAVRETANÆ

Anagrammaticè contextæ.

CORONA

Quoquè V. Beatissimæ,
ex S. Scripturæ Elogijs
versu composita.

Ab Adm: Rndo. & Doctissimo Patre,

QVINTINO DVRETIO
Ord: S. Benedicti, in Gerardimontensi
Vniuersitate Benedictinâ, Eloquentiæ publico Professore.

P. Erhard Camald in Insula Vigrensi

Antuerpiæ primùm Impressa,
Nunc secundis curis CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ & Heredum Francisci Cezary
S. R. M. Typog:

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO
DOMINO,

D. HIERONYMO
S. R. I. PRINCIPI,

In Wiſnicż & Iaroſław
Comiti

LVBOMIRSKI,
Abbati Tynecenſi, &c.

P*Riſca Maiorum Noſtrorum ſtudia, & de Orbe terrarum benè merita, in* Italia, Hiſpania, Gallia, Germania, *paſſim refloreſcunt, Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Domine. quando non vno iam loco, nequè in iis ſolum, quæ per Noſtros, ſiuè propter eoſdem conditæ ſunt, Academiis, Noſtri publicè literas profitentur; verum communi, Rei*

Christianæ bono, Collegia eiusmodi, atquè Vniuersitates, siuè ipsi excitant, siuè in gratiam Monachorum fundatas, summâ auctoritate soli obtinent, ac moderantur. Præter enim illas, Parisiensem, Ticinensem, Oxoniensem, *vetustissimas, à Nostris olim feliciter erectas Academias; recentiores Vniuersitates, hoc sæculo, æterno Nostrorum meritò gloriâquè excitatæ, fructum ingentem, & antiquo illi* (quem ab inde degustauit Maiorum ætas, & nunquam satis mirari potest, sera posteritas) *haud imparem, Ecclesiæ Dei, ex Monachorum laboribus, pollicentur.*

Habent Nostri in Regno Nauarræ Hiraci, *in Hispania* Oueti, Duaci *in Belgio,* Salisburgi *& apud* Rhintelenses, *in Germania, Almas Vniuersitates, in quibus, Diuinas atquè humanas artes, laudabili instituto prælegunt: habent multa, in diuersis locis, uti* Parisijs, Salmanticæ, Vesontione, *& alibi, publica studiorum Collegia, quæ inter, amplissimum & florentissimum*

Ge-

Gerardimontense in Flandria est, in quo iuuentus vndiquè confluens, primitiuis artibus, & Philosophicis Theologicisquè scientijs, exactè informatur. Quod certè Nostrorum studium, insignem Ordini Vniuerso, æstimationem, reparat, conciliatuè; & tali modo, Familia Benedictina *antiquitate defessa, velut redditâ iuuentute, videtur reuirescere.*

Cum autem superiori anno, in manus meas, Doctissimi D. Quintini Duretij, *olim Salisburgi mei contubernalis, nunc vero Gerardimontensis Professoris, pia quædam & docta Opuscula, deuenissent; illorum acumine, & pietate, sæpius legendo oblectatus sum plurimùm, & ea pietati alendæ, ingenioquè aliorum formando, percommoda videns, quod pauca essent exemplaria, quæ plurium manibus vtiliter versari possent, non leuiter dolui.*

Iam vero, Miracula Deiparæ Tuchouiensis, *cum Vestræ Illustrissimæ & Reverendissimæ Celsitudini non pridem de-*

cassem, ceu consequens Elogium, LITANIAS *quoquè* LAVRETANAS, & CORONAM Deiparæ, *ab hoc Nostro* Duretio *argutè elaboratas, (vel pauca, ex multis eius, pijsquè doctisquè Opusculis) statui consecrare. Quod dum præsenti meâ submissâ Dedicatione facio, id quoq; unicè opto ac voueo, vt in* Polonia, *simili literarum gloria prouocati Nostri, ac præsertim* Tynecenses, *sub* Vestræ Celsitudinis *felici regimine positi, aliorum* Benedictinorum *consimilia opera, factaquè illustria, æmulentur.*

Ita sentit, vouetque

Celsitudinis Vestræ

Obseruantissimus & Obedientissimus F. P. Stanislaus Sczygielski, Monachus Tynecensis.

LITANIÆ
LAVRETANÆ
ANAGRAMMATICE CONTEXTÆ.

Kyrye eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.

Chriſte audi nos.

ANAGRAMMA.

Tu hic dona ſeris.

Noſtra Dei cupiens Genitricis pangere laudes,
CHRISTE tuam ſupplex Muſa requirit opem.
Quæ tu dona ſeris, *mihi ſint conceſſa clienti,*
Vt venâ facili carmina noſtra fluant.
Non volo Pegaſei latices de fonte Caballi:
Quæ pia CHRISTE ſeris *plus mihi* dona *placent.*
Sunt ea Virgineos faciunt quæ dona *Poëtas,*
Et remouent Cyprio quidquid ab igne venit.
Sunt ea poſt mortem faciunt quæ dona *beatos,*
Præmia & impenſo digna labore ferunt.

Chriſte exaudi nos.

ANAGRAMMA.

Hic Deus exorantis.

NOs precor exaudi, quotquot te CHRISTE rogamus;
Exorantis enim cerneris esse Deus.
Te pius exorat: quid non orando reportet,
Vota exorantis si Deus ipse probas?
Vt mea vota probes, Genitricis gratia mandat,
Exiguis cupio quam celebrare metris.

Pater de cælis Deus.

ANAGRAMMA.

Pares de luce Deitas.

VNde, precor, meliùs Deitas quàm luce refulget?
Lux Deitatis opus, mansio lùxque Dei.
Hâc modò sint igitur Deitatis luce corusca,
Quæ dicta in laudem Virginis esse volo.

Fili Redemptor mundi Deus.

ANAGRAMMA.

Tu reddis pro lumine fidem.

PAr soboles Patri, pie Mundi CHRISTE Redemptor
Quæ nitet æthereo lumine, redde fidem.
Est tua lux fidei: velut auctor luminis extas:
Sic mentem irradiat te tribuente fides.

Spiritus sancte Deus.

ANAGRAMMA.

Vt est, inspiras decus.

SPiritus alme Deus, nostri decus ipse misertus
Inspiras, verum quod liquet esse decus.

Nam

Nam velut est in se decus *immortale suades;*
Hoc vnum decus est, *quod quis amare potest.*

Sancta Trinitas vnus Deus.

ANAGRAMMA.

Nutu satis dans increatus.

O *Deus, ex nihilo* nutu *qui cuncta creasti,*
Dansq; satis nutu *munera promptus habes:*
Virginis inuerso dum nomine concino laudes,
Carmina fac nutu *sint fabricata tuo.*
Omnia nos tecum; sine te nil posse fatemur:
Cernuus auxilium quæro proinde tuum.

Miserere nobis.

ANAGRAMMA.

Eris Orbi semen.

T*V nobis miserere Deus, criménque remitte,*
Gloria quá veniat, gratia semen erit.

Sancta Maria.

ANAGRAMMA.

Amantis arca.

S*ancta* MARIA *Dei Genitrix, dum diceris* Arca,
Conueniens meritis est anagramma tuis.
Mysticus est sensus, quo fœderis Arca *vocaris;*
Non alio Noê *cerneris* Arca *modo.*

Arca *sed ingenui dum dicta es Mater* Amantis,
Fit tuus hoc titulo sat manifestus amor.
Arca *tuos veluti nam tu custodis* amantes;
Quique tui extat amans, *ille perire nequit*,
O Marianus amor, verè sincerus Amanti!
Hoc mihi quis tribuat semper amore frui?

Sancta Dei genitrix.

ANAGRAMMA.

Excitans digna erit.

EXcitat *humano quæcumque in pectore Virgo*,
Omnia supremo sunt ea digna *bono*.
Eia age Virgo Parens, tuus in me suscitet ardor
Digna, *quibus possim gratior esse Deo*.

Sancta Virgo Virginum.

ANAGRAMMA.

Tu nunc agis mira vigor.

VIrgo Vigor *dicenda tuâ es virtute* MARIA:
Mira *sed in cunctis* nunc agit *iste* vigor.
Per te Virginitas toto dominatur in Orbe,
Quæ prius extremo vix bene nota fuit.
Per te coniugij spreuêre cubilia Reges,
Spretus & à multis est Hymæneus amor.
Per te millenæ subierunt fata puellæ,
Corporis illarum nè raperetur honor.

Exem.

Exemplis edocta tuis Catharina triumphat,
Martyrij palmam Virginitate ferens.
Cæciliæ, Agnetis, Priscæ, Praxedis, Asellæ
Sunt, Virgo, exemplis debita serta tuis.
Tu *Virgo* vigor *atque chori Regina pudici,*
Es meritò tali nomine digna coli.
Sic te Virgo colam, tua sic vestigia seruem:
Iungar virgineo, te mediante, choro.

Mater Christi.

ANAGRAMMA.

Micat terris.

O *Quanto radiat Virgo splendore* MARIA!
Emicat *in* terris, emicat *inq; polis.*
Emicat, *atque suo noctem fulgore serenat,*
Emicat, & *rutilos efficit ipsa dies.*
Quid mirum est? Stella est, nec non Aurora MARIA,
Sol velut electa est, Lunáque pulchra nitet.

Mater Diuinæ gratiæ.

ANAGRAMMA.

E Maria regnat Dei vita.

I*Mpie sacrilegâ Mariani spretor honoris*
Voce quid effutis? Non est, ais, ipsa Tonantis
Virgo Parens, vitæ proprio quæ munera Nato
Contulit; hæc hominem tantùm genuisse probatur:
Nam Deus antè fuit, Matris quàm clausus in aluo

Fi-

Filius iste foret. Stultæ ô deliria mentis!
Si Deus antè fuit CHRISTVS, *num desijt esse*
Talis, vt ex castæ Genitricis prodijt aluo?
Pluribus haud liceat cui non rationibus vti,
Hoc anagramma legat. Mater quæ gratiæ habetur
Diuinæ, simul hinc vitam tribuisse Tonanti
Noscitur; huius enim tituli, si grammata vertas,
Ecce Dei regnat *de Virgine* vita Mariâ.

Mater purissima.

ANAGRAMMA.

Summa parit reis.

SVmma parit *pia Virgo* reis *enixa Tonantem*;
Virginis est partu gratia facta reis.
Laus igitur pariter sit reddita summa MARIÆ,
Qualibet inferior non erit apta satis.

Mater castissima.

ANAGRAMMA.

Mittam escas aris.

N*Os pia Virgo parens sacras inuitat ad aras,*
Spondet & Angelici fercula sancta cibi.
Sic ait illa; Aris escas *pro munere* mittam,
Hasq; dapes Nati corpore prompta dabo.
Qui cupit ergo epulas, CHRISTI *quas mensa ministrat,*
Virginis imploret, quâ satietur, opem.

Ma-

Mater inuiolata.

A N A G R A M M A.

En tali vitâ amor.

CEde puer procul hinc Paphÿs armate sagittis,
Quæq; paras pharetris tela reconde tuis.
Nolo Dionæâ mihi stringi corda sagittâ;
Me Matris melior Virginis vrit amor.
En tali *procedit* amor *de Virgine purus,*
Puræ velut vita *est, purus habetur* amor.
Aspicio lectos niueæ seu frontis honores:
Frons amor *est oculos possidet vnus* amor.
Emicat in geminis amor *hinc, atque inde labellis,*
Pectoris in medio prædominatur amor.
Virgineis stat amor *manibus, gressumq; gubernans*
Est amor: *in cunctis gestibus extat* amor.
O amor! *ô Virgo* tali *dignissima* vitâ!
Ex qua non vnus regnat, at omnis amor.

Mater intemerata.

A N A G R A M M A.

Itáne terram amet?

SIccine Mater amet *Virgo sanctissima* terram?
Quæ desiderio desuper astra volat.
In Cœlos pia Virgo magis defertur amore;
Huic igitur tellus quâ ratione placet?
Sed non terra *placet, tantùm placet incola terræ:*
Est hominum Virgo namq; salutis amans.

Di-

Diligit illa homines, Natique imitatur amorem:
Magnus amor Matris, magnus amorq́; Dei est.
Et nos tantus amor necdum Matrisque, Deique
Excitat, & nondum cœlica flamma cremat?
Frigidius Pario nobis est marmore pectus,
Illi si duplici non sit ab igne calor.
Ah caleat, sed CHRISTE *tuo mihi pectus ab igne,*
Atque MARIA *tuo pectus ab igne flagret,*

Mater amabilis.

ANAGRAMMA.

Amat mirabiles.

IN *re quam peragit quisquis* mirabilis *extat,*
Virginis & Matris dignus amore venit.
Non tamen hic numeres, agitur quod Dæmonis arte;
Hoc etenim mirum quis nisi stultus habet?
Sola facit meritò quod sit, mirabile *virtus,*
Cætera non tanto nomine digna reor.
Turba beatorum Mirabilis *extitit olim,*
Illorum veluti plurima facta probant.
Cara proinde fuit Superûm donata fauore,
Virgineáq; manu cœlica dona tulit.
Si minus ipse queam factus mirabilis *esse,*
Virgo, fauore fruar non minùs inde tuo.

Mater admirabilis.

ANAGRAMMA.

Mira ardebit malis.

VT *pia Virgo bonis ardens solatia præbet,*
Vt potè quos vero Mater amore fouet.
Ardebit *sic* mira malis, *quos sanguine Nati*
Conspiciet spreto, mortis inire viam.
Virgo MARIA malis *noli exardescere nostris,*
Nos pudet, & sceleris pœnitet esse reos.

Mater Creatoris.

ANAGRAMMA.

Ritè certas amor.

Q*Vàm bene* certat amor,*peragit quam ritè duellũ!*
Bella facit bellus prælia semper amor.
Ritè *velut* certat, *pariter sic* ritè *triumphat ;*
Fortior arma etenim nullus amore *gerit.*
Omnia vincit amor. *Quis non concedat* amori,
Præcipuè fuerit si Marianus amor?
Ipsa Creatoris, nobis est Mater amoris :
Nostràque, Virgo, tuus pectora vincit amor.
Prælia ritè *facis,* certas *animóque virili :*
Téque triumphantem laurea ritè *facit.*

Mater Saluatoris.

ANAGRAMMA.

Salutaris à morte.

V*Irgo* salutaris *non raro* à morte *probatur :*
Illa etenim multos eripit amne stygis.
Heu! moriar, certum est; sed quidnam à morte *sequetur,*
Incertum ; mihi sis Virgo proinde salus.

Esto

Esto salutaris; *quam spero* à morte *salutem*
Accipiam meritis, Mater amanda, tuis.

Virgo prudentissima.

ANAGRAMMA.

Prudentis virga Mosi.

C*Lara portentis fuit illa multis*
Virga, *quæ fluctus reuehens aquarum*
Cum suis Regem Pharium quadrigis
Obruit vndis.

Virga prudentis *fuit atque* Mosi.
Quæ, sitim turbâ patiente, lymphas
Eruit petrâ, simul & Dracones
Morte peremit.

Talis est Virgo Genitrix MARIA,
Virga *quæ* Mosi *meritò vocatur*:
Illa nam magnos stygij Draconis
Comprimit ausus.

Saxeo lymphas hominúmque corde
Exprimit, fletus, lacrymásque donans,
Quas suo Mundus vehit atque motu
Dissipat vndas.

Virgo veneranda.

ANAGRAMMA.

Vna erudio regna.

P*Er me, inquit Virgo, sua gestant sceptra Monarchæ:*
Et satis erudio *quæ pia* regna *volo.*

Non

Non bene regnabit, qui non à Virgine doctus
Contemnet summi iussa tenenda Dei.
Nec sine præsidio florebunt regna MARIÆ:
Erudit *illa velut, sic quoque* regna *fouet.*

Virgo prædicanda.

ANAGRAMMA.

O pura Regi dicanda!

O *Quàm* pura *nites,* Regi *quæ sponsa supremo*
Ad sacrum properas Virgo dicanda *thorum!*
Non macula est in te, sed candida tota refulges,
Vtq; Deo similis iungeris vna Deo.

Virgo potens.

ANAGRAMMA.

Sinu protego.

V*Irgo* MARIA *potens nullis nos* protegit *armis,*
Sed tantùm proprio protegit *illa* sinu.
Paruulus inq; sinu *Matris dum ludit* IESVS
Protegit *adiunctá cum genitrice Deus.*
Sic humiles famulos nos protege *Virgo, precamur,*
Inq; sinu *facias Matris habere locum.*

Virgo clemens.

ANAGRAMMA.

Lucem resigno.

LVcida tota licet niteat virtute MARIA;
Quidquid habet, munus nouit id esse Dei.
Omne proinde bonum Nato lucemq; resignat,
In mare sic fluuij tota recurrit aqua.

Virgo fidelis.
ANAGRAMMA.
Is fulgor diei.

STella non tantùm radias MARIA,
Luna nocturnos agis aut iugales;
Fulgor at lumen tribuis diei,
Solis ad instar.

Fulgor is clari radians diei,
Virgo quæ mentes hominum fidelis
Criminum cunctas remouens tenebras,
Luce serenas.

Sic precor nostro scelerum, beata
Virgo, detergens animo tenebras,
Quæ tuus vibrat pietatis ardor,
Lumina præbe.

Speculum Iustitiæ.
ANAGRAMMA.
Pietatis luce visum.

ASpicis vt speculum speciosâ luce coruscet,
Assimilet vultus vt sine labe tuos.
Virgo Parens speculum est, quo non perfectius vllum:
Omnis in hoc species splendet & omne decus.

Quis-

Quisquis ades, similem vis illi fingere formam,
Semper & intacto mentis honore frui?
Aspicias speculum pietatis luce MARIÆ;
Non aliter visum *proderit esse tibi.*

Sedes Sapientiæ.

ANAGRAMMA.

Sanè es Dei pietas.

V*Irgo* Dei pietas, pietatis *viscera pande,*
Afflictósque vide quos premit ira Dei.
Per te Belgiacis Mauors propulsus ab agris
Efferus in Scythicas deferat arma plagas.
Expectata diu, veniat pax aurea cœlo,
Et tua sit pietas *cum* pietate Dei.

Causa nostræ lætitiæ.

ANAGRAMMA.

Ter io, sancta est alia Eua.

I *Funesta Parens natorum prodiga vitæ,*
Egredere Elysiis Eua *nouerca iugis.*
Per te laxata est inferni ianua Ditis:
Per te mors homines sub ditione tenet.
Per te sanguineo sæuit discordia bello:
Per te morborum pullulat omne genus.
Altera iam CHRISTI *Genitrix ignara mariti,*
Viuorum est meritò constituenda Parens.
Dicite io, ter io *Mortales dicite cuncti:*
Altera nam sancta est Eua *Parensq́ue Dei.*

In risum lacrymas, in fletum gaudia vertit,
Et soluit trepido pectora nostra metu.
Eua *tulit mortem, sed Aue dum nomina vertit*
Angelus, est vitæ facta MARIA *Parens.*

Vas ſpirituale.

ANAGRAMMA.

Leuat ſuſpiria.

MARIA *Mater gratiæ,*
Diuæ Parens clementiæ,
Virgo leuat ſuſpiria,
Perfecta donans gaudia.
Quicumque tristis angitur,
Magnóque luctu tangitur,
Matrem Dei gementium
Quærat leuamen cordium.
In maximis doloribus,
Feruens precationibus,
Dicat cliens pijssimè,
Oránsque deuotissime:
Virgo Parens mortalium,
Adfer mihi solatium,
Quæ fundo mœstus anxia,
Mater leua ſuſpiria.
Per te recedant nubila,
Adsintq; mentis iubila,
Me recreet suauitas,
Serenet & tranquillitas.
Vt me grauant terrestria,
Sic me iuuent cælestia,

In

In cœlica nam curia
Sunt vera tantùm gaudia.

Vas honorabile.

ANAGRAMMA.

En arbos oliua.

QVæ fuit armigeræ quondam sacrata Mineruæ,
Semper habet vernas arbor oliua *comas.*
Victores etiam florens præcingit oliua ;
Arbor *& hæc pacis symbola certa gerit.*
Quæ fuit ex arcâ primùm digressa Noëmi,
Sic oleæ *ramos alba columba tulit.*
Floribus, & ramis est nobilis arbor oliua,
Vtilis & varijs vsibus illa venit.
Diuersis oleo *morbis medicina paratur,*
Et fiunt sapidi sæpiùs inde cibi,
Quàm bene conueniens est arbor oliua MARIÆ!
Clarius est, dictum quàm queat esse metris.
Perpetui Virgo floret dum laude pudoris,
Sicut oliua *omni tempore verna viget.*
Et sua qui referunt obtenta trophæa MARIÆ,
Exornant oleæ *frondis honore caput.*
Quam sit pacis amans Virgo, quamq; vtilis Orbi,
Res loquitur Musâ nónne tacente satis?
Ergo tuos liceat Virgo decerpere fructus,
Quos veluti florens arbor oliua *paris.*

Vas insigne deuotionis.

ANAGRAMMA.

Suauis est dono ingenij.

SVauia *mella suis quæ fundit Hymettia cellis,*
Diuitias veris dum populatur apis.
Suaue *sapit vinum,* suauis *quoque lacteus humor;*
Suauia *flauiculis Persica mala comis.*
Amplius est multò virtute MARIA suauis,
Et dono ingenij suauior *ipsa sui.*

Rosa Mystica.

ANAGRAMMA.

Ista, ros amici.

ROs *velut in vellus* CHRISTVS *descendit in aluũ*
Virginis, est hominum dum reparata salus.
Est pariter Virgo sic roris *ad instar,* amico;
Mystica dumq; rosa est, ros *quoque fundit aquas.*

Turris Dauidica.

ANAGRAMMA.

Ars diua dicitur.

S*I quisquam Solymæ magnâ peregrinus in vrbe*
Forsitan ignotum deuius ibat iter,
Quod Pharos est nautis, erat huic Dauidica turris;
Index turris erat conspicienda viæ.

Sic vbi quis vasto peregrinus deuiat Orbe,
Virginis aspectus figat in ora suos.
Est etenim pia Virgo Parens Dauidica turris,
Semita demonstrat quæ capienda poli.
Ars ea Diua *etiam meritò Dauidica turris*
Dicitur; *arte Dei nam fabricata fuit.*

Turris eburnea.

ANAGRAMMA.

Túne rubra eris?

A *Lba licet Virgo videatur eburnea turris,*
Candida virgineæ symbola mentis habens:
Attamen & Diui flammas cùm gestet amoris,
Rubri *cum niueo mixta coloris* erit.
Mixtio grata Deo, castæ quâ lilia mentis
Abdita amor rubris *efficit esse rosis.*

Domus aurea.

ANAGRAMMA.

Sum aura Deo.

E *Xultant Satyri, virides gaudentq́ Napææ,*
Tempore dum verno mollior aura *fauet.*
Sic Deus exultans concepit gaudia CHRISTVS,
Virginei exurgens dum fuit aura *sinus.*
Illa fuit vernâ multò iucundior aura,
Qualis in Elysio nec fuit vlla solo.

Fœderis arca.

ANAGRAMMA.

Sacra Dei fero.

B*Ezeleelis opus sanctissima fœderis Arca,*
Ex ligno Sethim facta decenter erat.
Intus & exteriùs puro radiabat in auro,
Eius & ex auro facta corona fuit.
Virgo MARIA *Deum clausâ dum protulit aluo,*
Sacra Dei *portans fœderis arca fuit.*
Aurea Virgo domus fuit, aurea fœderis arca:
Hanc bene si spectes, aurea tota fuit.

Ianua cæli.

ANAGRAMMA.

Ei vnica ala.

P*Ernici volucris quæ fertur in æthera cursu,*
Alarum *duplici remige carpit iter.*
Vnica *quâ meliùs cœlum sed scanditur,* ala *est*
Diuus amor: Virgo sic super astra volat.
Altiùs & penetrans quamuis sit proxima Nato,
Illa tamen cœli Ianua Virgo manet.
Vtpotè nullus adit radiantia pegmata cœli,
Qui priùs haud fuerit Virginis huius amans.

Stella matutina.

ANAGRAMMA.

Astat, lumen alit.

Mun-

MVndani variis agitatâ mente procellis
Qui maris expositus magna pericla subit;
Aspiciat Stellam: veluti Cynosura MARIA
Astat, subsidij ferre parata iubar.
Stella MARIA maris miseris succurrere docta
Lumen alit: tantùm lumine disce frui.

Salus infirmorum.

ANAGRAMMA.

Nisu flammis vror.

QVis iacet infirmus, cuius non Virgo miserta
Vritur, & flammis æstuat illa pijs?
Feruidior Paulo, nisu, studióque medendi
Proficit, & medicâ doctior arte valet.
Sæpè quibus Chiron nequijt præstare medelam,
Et quibus Hippocrates non tulit vllus opem:
Virginis auxilio febres vicisse malignas
Cernimus, & quoduis exsuperasse malum.
Cùm febris ergo tuos nimiùm depascitur artus,
Feruida & ignitus pectora cancer edit:
Dirus hydrops inflatus aquis vel viscera rumpit:
Inficit aut pestis languida membra lues:
Et latus & renes morbo tentantur acuto,
Aut secat infirmos sæua podagra pedes:
Vel grauior figit morbus tua corpora lecto,
Proxima vel tetræ fax tibi mortis adest;
Virginis, atque Dei genitricis supplice voto
Ocyùs implora quâ releueris, opem.

Refugium peccatorum.

ANAGRAMMA.

E gemitu fac cor purum.

AH! *quibus, ah! quantis lacrymis & planctibus vtar,*
Vt plorem vitæ crimina cuncta meæ!
Ipse licet superem morituri carmen oloris,
Non sat olorinum flebile carmen erit,
Seu vincam Philomela tuos gemitúsque *modósque;*
Siue tuos Turtur, siue Columba tuos:
Non satis exactæ defleuero crimina vitæ,
Ah! nimium multis quæ fuit acta malis.
Nil nisi flere iuuat, fient mihi lumina fontes,
Ipse cibus gemitus, *lacryma potus erit.*
E gemitu *fac Virgo meum* cor *supplico* purum:
Cernere námque Deum mens nisi pura nequit.

Consolatrix afflictorum.

ANAGRAMMA.

Altrix lac format confiso.

IMmensi *dilecta Parens* Altrixq; *Tonantis,*
Cûi licuit summo ferre alimenta Deo.
Nectareis prolemq; tuam pauisse fluentis
Angelicumq; sacro rore cibare, cibum.
Virgineo prædulce Tibi lac *vbere manat,*
Quod nati format *casta labella tui.*
A niueá matris qui dum ceruice pependit
Aût dum purpureo luserat ipse sinu.

De-

Delicias suxisse meras, mera balsama visus,
Puniceis fixit basia mille labris.
Dulcia non soli præbes tamen Vbera Nato
Orbis ab vberibus pascitur vsq; tuis.
Teq; piam Matrem, natorum turba coronat
Cui de te niueo viuere rore licet.
Me quoq; dura fames, arido de corde, fatigat,
Dum patior rigidi tædia longa mali.
Tot lacrymas inter, totq; inter sæua gementi
Afflicti cordis vulnera, Virgo faue.
In te confiso *Matris solatia præbens,*
Tu mihi lætitiæ lactea vena flues.

Auxilium Christianorum.

ANAGRAMMA.

Lux Christi, via animorum.

E*St* via lux CHRISTI *mentes ad sidera ducens,*
Quâq; patent rutili regna beata poli.
Non ita Tyndaridæ fulgent ia sidera nautas
Per mare dum tendunt carbasa luce *iuuant.*
Est via lux CHRISTI *meritò dicenda* MARIA :
Eius enim cœli gratia pandit iter.
Qui tenet hanc lucem *scelerum caligine pulsâ,*
Cœlica directo tramite regna subit.
Lux *igitur pia Virgo animi sic dirige gressus,*
Lucidus vt certá tendat ad astra viâ.

Regina Angelorum.

ANAGRAMMA.

En regnum à gloria.

NOn bene quis regnat, decoret nisi gloria regnum,
Gloria quæ varijs est manifesta modis.
Sunt quibus à magnis est gloria parta triumphis;
Ex opibus multis gloria vana fuit.
His melius bellis, his cedit gloria pace,
Pluribus atque habita prouenit arte decus.
Vera sed exornans ut detur gloria regnum,
Virtutum studijs illa petenda venit.
Talis condecorat Marianum gloria regnum:
Cœlica non aliter gloria namque datur.

Regina Patriarcharum.

ANAGRAMMA.

Primaria curat regna.

REgna quibus colitur Virgo primaria curat,
Extat de reliquis sollicitudo minor.
Imperium curat studio feruente Quirinum,
Curat & Hispano duret in Orbe vigor.
Sat quoque Virgineæ sunt Francica lilia curæ,
Curat & Hungarico subdita regna Duci.
Belgica nec tellus est vltima cura MARIÆ;
In Belgas etiam Virginis ardet amor.
Vsque suam quamuis Mauors hîc explicet iram;
Lenior ira tamen Virginis extat ope.
Iampridem Hæretico Pallas coniuncta furori
Mersisset stygio Belgica regna vado,
Si pia Virgo manum non implorata dedisset,
Eius & in Belgas ni viguisset amor.
Perge, rogo, afflictis Virgo succurrere Belgis,
In nos atque tuus continuetur amor.

Regina Prophetarum.

ANAGRAMMA.

Pignore pura Mater.

Est veluti pignus *soboles concessa parenti;*
Sed maculam tali pignore Mater *habet.*
Gloria Virginei macula est amissa pudoris,
Virginis & Matris non simul extat honor.
Sola Dei genitrix Mater, *Virgóque remansit,*
Et genito Mater pignore pura *fuit.*
Non sobolis partu damnum tulit illa pudoris;
Sed fuit intacta Virginitate Parens.
Non capit hoc atrox Mariani nominis hostis,
Propterea id diro perfidus ore negat.
Hic impurus enim puræ *non* Matris *amore*
Ducitur, ac sordes diligit ille magis.
Sordidus est totus, nil puri *in pectore gestat:*
Hic animo fœtens Hircus vt alter olet.
Catholicus contra purus, puræq; *Parentis*
Viscera quæ credit pura *fidelis amat.*
Sic amo, sic credo, mihi Virgo Mater *haberis:*
Te precor & puro *sit mibi* purus *amor.*

Regina Apostolorum.

ANAGRAMMA.

Virgo planto amores.

Hortulus est animus, quem Virginis atq; Tonantis
Prouida cœlesti cura fauore colit.
Inserit hîc varios CHRISTVS *cum germine flores,*
Inserit & pulchris lilia mixta rosis.

Li-

Lilia Virginei sunt symbola certa pudoris,
Atque rosæ similis diuus habetur amor.
Quælibet est virtus animi flos nobilis horti :
Altera non isto germina cernis agro.
Virgo proinde suos quando considerat hortos,
Perpenditq; animis qualia dona parit.
Mater amoris *ego* planto *sic, inquit,* amores,
Exq; meo prodit semine castus amor.
Si sit amor *cordi, virtus tunc cernitur omnis ;*
Nulla sed est virtus, si procul absit amor.
In me Virgo tuos planta, *tibi supplico,* amores,
Tunc hortus Superis mens mea gratus erit.

Regina Martyrum.

ANAGRAMMA.

In ara mirum gerit.

L*Ege puerperij sacris dum constitit* aris,
Obtulit & Natum Virgo MARIA *Deo :*
Nonne satis visum est quod mirum gessit in ara ?
Numen erat mirum *quod foret iste puer.*

Regina Confessorum.

ANAGRAMMA.

Vigens fers coronam.

T*V Regina* vigens *meritò* fers *Virgo* coronam :
Et tua quæ gestas florida sceptra vigent.
Es nam Virgo vigor, nullo violabilis æuo :
Sunt quoque Reginæ debita serta tibi.

Re-

Regina Virginum.

ANAGRAMMA.

Ingenium irriga.

ANimum clientis irriga ingenium, precor;
Est namq́ue sterilis quisquis est Virgo tuâ
Ope destitutus. Viuat ingenuus *licet,*
Nil facere cœlo quispiam dignum potest,
Nisi Marianæ teneat auxilium manus.

Regina Sanctorum omnium.

ANAGRAMMA.

Vt geram Numinis coronam.

V*Irgo præest cunctis quando Regina Beatis,*
Proximior nullus cernitur esse Deo.
Numinis *inde* gerit *redimitâ fronte* coronam,
Celsior Angelicis Diua locata choris.
Exsuperans omnes minor vno Numine *regnat:*
Cum Nato imperium Virgo, Parensq́ue gerit.
Virginis vt titulos Anagramma inuertit honoris,
Instituit modico carmine Musa preces.

Ora pro nobis.

ANAGRAMMA.

I, probos orna.

O*Ra pro nobis, humiles te Virgo rogamus,*
Atque probos orna *quâ pietate decet.*

Agnus

Agnus & ipse Dei, tollis qui crimina Mundi,
Parce precor, quidquid mens scelerata facit.
Agnus & ipse Dei, tollis qui crimina Mundi,
Exaudi facili quæsumus aure preces.
Agnus & ipse Dei, tollis qui crimina Mundi,
Indulgens nostris sic miserere malis.

ORATIO.

CORporis atque animi fac nos gaudere salute,
Virginis intuitu nos Deus atque iuua.
Tristitiam remoue, præsens quâ vita laborat,
Æternæ vitæ lætitiámque feras.

ROSARIUM

Siue

CORONA

Sanctissimæ Deiparæ Virginis MARIÆ,

Ex S. Scripturæ Elogijs

Versu Composita

A R. P. Quintino Duretio Ord: S. Benedicti.

Rosarium sanctæ Virginis Mariæ.

ANAGRAMMA.

Vera arma sinceri amoris tui signa.

SInceri *vis* signa tui, *mi Lector,* amoris
Pandere, quo Sanctos diligis atque Deum?
Vera *quibus pariter stygios ruiturus in hostes*
Bella pugil facias strenuus, arma *cupis?*
Virginis in laudem roseo de nomine dicta
Tractanda est animo sæpè corona tuo.
Versibus illa tibi nostri datur arte Magistri,
Scriptura ex varijs facta corona locis.

Hanc cape quisquis amas Superos, & Dæmona gestis
Vincere, vera *tuus sic amor* arma *geret.*

Pater noster.

GLoria Virginei cœtus salueto MARIA,
Virgo Parens fieri digna Tonantis, Aue.
Præsidium, tutela, salus, pietatis asylum,
Quæ cœlos aperis porta salutis, Aue.
In medio positum Paradisi nobile lignum,
Gen. 2. Ex quo tota hominis vita pependit, Aue.
Contrito referens Mulier serpente trophæa,
Gen. 3. Quæ reparas Euæ damna Parentis, Aue.
Arca Noë fabricata manu, magnoque labore,
Gen. 6. Diluuij fluctus quæ superauit, Aue.
Pulchra serenatis radians in nubibus Iris,
Gen. 9. Vt color hic signum fœderis esset, Aue.
Scala Iacob, gradibus cuius descendere cœlo
Gen. 28. Angelici cœtus agmina vidit, Aue.
Fiscina flumineo Mosen in littore seruans,
Exod. 2. Fluctibus in prædam ne raperetur, Aue.
O Rube qui medio quamuis videaris in igne,
Exod. 3. Attamen es flammis inuiolatus, Aue.
Isacidas ducens refluentes virga per vndas,
Exod. 14. Cùm submersa fuit gens Pharaonis, Aue.

Pater noster.

GLoria quâ Domini fuit omnibus agnita nubes,
Exod. 16. Eius cùm populum Manna cibauit, Aue.
Au-

Aurea Mensa, super quam fœderis Arca quieuit,
Ex ligno Sethim facta decenter, Aue. *Exod. 25.*
Efformata Dei digito sculpente tabella,
Quâ legis Moses dogma recepit, Aue. *Exod. 26.*
Sicca priùs, pòst fructificans, & Amygdala gignens,
Aaron Pontificis virga senilis, Aue. *Num. 17.*
Sustentans valido serpentem robore furca,
Cuius in aspectu mors fugiebat, Aue. *Num. 21.*
Stella Iacob, & Virga Duces quæ strage cruentâ
Moab percussit, Seth quoque vicit, Aue. *Num. 24.*
O robur clypei, Iosue quem misit in Haï,
Iericho & euertens mœnia clamor, Aue. *Iosue 8. & 6.*
Armigeri vellus Gedeonis rore liquescens,
Expers & liquidi posteà roris, Aue. *Iud. 6.*
Qui mixtus cineri panis per somnia visus
Euertit Madian castra furentis, Aue. *Iud. 7.*
Dextera Sampsonis discerpens ora Leonis,
Cui fuit occiso copia mellis, Aue. *Iud. 14.*

Pater noster.

BEzeleëlis opus sanctissima fœderis Arca,
Quâ Deus est Dagon factus inanis, Aue. *1. Reg. 5.*
Arca Philistæas potuit quæ vincere turmas,
Non secus atque manu tela vibrasset, Aue. *Ibid.*
Funda Gygantæos saxo feriente lacertos
Quâ Dauid Goliath stamina fregit, Aue. *1. Reg. 17.*
Prompta labore trium Bethlemica lympha virorũ,
Rex Dauid sitiens vt reueletur, Aue. *2. Reg. 23.*

Lympha tamen primis non deguſtata labellis,
Ibid. Sed libata Deo, munus vt eſſet, Aue.
Frigida præ ſenio Regis quæ membra calore
3. Reg. 1. Virgo foues Abiſac & Sunamitis, Aue.
Inclyta Berſabee Salomonis digna ſedili,
3. Reg. 2. Eius quæ lateri proxima ſedit, Aue.
Marmore, Chryſolitho, gemmis auroq; decorum
3. Reg. 6. Templum quod ſoboles regia ſtruxit, Aue.
Ieſſe virga ferax CHRISTI naſcentis origo,
Eſaia 11. Vltima nec noſtræ cauſa ſalutis, Aue.
Numinis effigiem ſpeculum ſine labe remittens,
Sap. 7. Candor ab æternæ ſidere lucis, Aue.

Pater noſter.

IErusalem veniens magnâ comitante cateruâ
3. Reg. 10. O Regina Saba, flos Orientis, Aue.
Munera magna ferens queis gratior atria posſit
Ibid. Ingrediens, vultus cernere Regis, Aue.
Admirata etiam ſapientis verba Monarchæ
Ibid. Doctrinâ reliquos qui ſuperabat, Aue.
Ampla domus Domini, Salomonis eburnea ſedes,
2. Paral. 9. Pulchra quidem viſu, pulchrior intus, Aue.
Aſtiagis ſobolis genitrix bene cognita Cyri,
1. Eſd. 1. Templum Ieruſalem qui reparauit, Aue.
Magnanimæ Iudith Holophernē dextera truncans
Iudith 13. Nos velut illa ſuos vt tuearis, Aue.
Vnica quæ reliquis placuiſti pulchrior Eſter,
Eſter 15. Et merita es ſceptrum tangere Regis, Aue.

Glo

Gloria Ierusalem, simplex sine felle columba,
Pulchra genis, picti turturis instar, Aue. *Cant, 1.*
Nigra quidem, formosa tamen, vultuque decora,
Quam sacer in terris Sponsus amauit, Aue. *Ibid.*
Fasciculum Myrrhæ Virgo super vbera portans,
Cui vestes redolent munera thuris, Aue. *Ibid.*

Pater noster.

HInnule ceruorum super alta cacumina Bethel,
Caprea semper amās culmina montis, Aue. *Cant. 1*
Lectule, quem vigilans miles custodit in armis,
Ne sponso noceat perfidus hostis, Aue. *Cant. 3.*
Horte virens herbis, varijs & floribus halans,
Quem munita seris ianua claudit, Aue. *Cant. 4.*
Iugiter & valido fons obsignate sigillo,
Quo viuentis aquæ defluit humor, Aue. *Ibid.*
Distillansque fauum labijs qui melle redundat,
Cuius inest linguæ copia lactis, Aue. *Ibid.*
Cuius & ornato stillant vnguenta capillo,
Totaque Nectarei plena liquoris, Aue. *Ibid.*
Cui caput est aurū, cui ex marmore crura colūnæ,
Nec non triticeus venter aceruus, Aue. *Cant, 5.*
Cui collum erigitur veluti Dauidica turris,
Cuius fixa tholis arma videntur, Aue. *Cant, 4.*
Purpureis euecta rotis Aurora coruscans,
Quæ graderis CHRISTI nuntia solis, Aue. *Cant. 6.*
Angelicis sociata choris super æthera scandens
Fœmina diuinæ conscia mentis, Aue. *Ibid.*

ap. 17. OMnibus ad votum cōponens Manna saporem,
Ex quo qui comedit non morietur, Aue.
Cedre ferens Libani fructus in vertice montis,
Eccl. 24. Et quauis Platano celsior Arbor, Aue.
Frondis Oliua tuæ quæ nunquam perdis honores,
bid. Vtpotè quos fuerit carpere crimen, Aue.
Pondere pressa graui quæ in Cades palma resurgis
bid. Extendens ramos vt Terebinthus, Aue.
Vinea virtutum grauidis onerata racemis,
bid. Quam Deus æthereo fonte rigauit, Aue.
Alma spei Genitrix, sanctique Magistra timoris,
bid. Et pia diuini Mater amoris, Aue.
Infirmos homines Piscina probatica sanans,
oan. 5. Protinus vt lymphas mouerit ales, Aue.
Fœmina parturiens & lumine Solis amicta,
Apocal. 12. Sub cuius pedibus Luna recumbit, Aue.
Cuius & eximiâ duodenus luce corusca
bid. Stellarum numerus tempora cingit, Aue.
Vt finem faciam, Virgo salueto MARIA:
Laudibus hoc cunctis nomine maior, Aue.

OBLATIO.

A ccipe Virgo Dei Genitricis nomine digna
Quod tibi noster amor carmine promp sit Aue.
A tque soles, grato mea suscipe munera vult A,
Sint licet hæc tantùm verba salutis Aue.
E xiguo, fateor, sunt carmina digna fauor E,
Nec satis ampla refert munia laudis Aue.

Ma-

M agna tamen pietas, totum quâ reſpicis orbe M,
Grata precor faciat dona ferentis Aue.
A ngelus æthereâ Gabriël demiſſus ab aul A,
Vt quondam placuit cùm tibi dixit Aue;
R emigio parili mea, quæſo, verba ferantu R,
Sic noſtrum placeat quod tibi fertur Aue.
I nſuper hæc ſummo ſint pignora grata Parent I,
Acceptumque habeat Filius iſtud Aue.
A c vbi Virgo Parens, ex hac diſceſſero vit A,
In cœlis merear dicere ſemper Aue.

Hoc Roſarium appenſum eſt ante ſtatuam Diuæ Virginis in Monaſterio Affligenienſi D. Bernardum reſalutantis, prodigio celebrem.

DE SANCTISSIMA DEIPARA VIRGINE MARIA AVGVSTISSIMA CÆLORVM REGINA

Anagrammata quædam ejusdem Authoris.

Virgo Maria.

ANAGRAMMA.

Mira Virago.

SI qua fuit veteri ſub lege reperta Virago,
Muſarum lyrico pectine digna coli;
Nulla fuit CHRISTI *genitrice potentior vnquam,*
Nec data nobilior quæ celebranda foret.
Namq́ Heroïnas ſuperat virtutibus omnes,
Seu ſpectes animi robora, ſiue fidem.
Dicta Virago *fuit, multisq́ ornata triumphis,*
Quæ caput Aſſyrio ſuſtulit enſe Duci.
Debbora conſimili eſt titulo decorata, Iahélque,
Dum clauo Siſaræ tempora fixit humi.

At

At Phlegetonthæi calcans fera colla Draconis,
Est meliùs Virgo Mira Virago *Parens.*
Quid reliquas memorem, quas pagina sacra recenset,
Mira Virago *quibus Virgo* MARIA *præit?*
Nil habet Abigail, nil Esther, nilq; Susanna,
Quod par sit meritis Virgo MARIA *tuis.*

Sancta Virgo Maria.

ANAGRAMMA.

Rogata vincis arma.

O *Diua, cœli quæ colis atria,*
Regina Mundi, Virgóque Virginum,
Mater Tonantis, Christiani
Præcipuum generis leuamen;
Atrocioris Diua potentior
Tandem furores comprime Palladis:
Rogata *Virgo* vincis arma,
Atque minas superas Gradiui.
Serua cruentis obuia spiculis
Virgo tuorum pectora, & hostium
Vires retunde, concupitam
Redde, precor, populo quietem.
Rogata *pacis redde petentibus*
Secura Belgis otia, Gallici
Furore Martis concitata
Nulla magis videantur arma.

Parens Maria.

ANAGRAMMA.

Ima reparans.

INfœlix Phaëton, currûs auriga Paterni,
Deuius ignoti laxis dum cœpit habenis
Currere regna poli; nimio pars vsta calore,
Vrbibus & lucis syluisq; flagrantibus igne
Dicitur esse soli. Factam reparare ruinam
Iupiter at cupiens, cœli delapsus ab arce
Ima citò gressu petijt, primumq; per arua
Errans Arcadiæ, reparauit quidquid ab igne
Consumptum fuerat. Veteres figmenta Poëtæ
Talia dum faciunt, nobis quæ vera canamus,
Argumenta ferunt, Mundi reparasse ruinam
Ima petens meritò nonne est dicenda MARIA?
Cuius Virgineâ Christus dum prodijt aluo,
Ipsa Parens primi reparauit damna Parentis.

Sancta Maria Mater Dei.

ANAGRAMMA.

Adamas in terra emicat.

NOn magè Beryllos, flammis similésque Pyropos,
Admirans stupeo, quas vehit Indus opes.
Iam mihi vilescit Sapphirus, Iaspis, Achates,
Et sordet Parius, Chrysolitúsque lapis.
Emicat ecce Adamas in terrâ Virgo MARIA;
Sufficit illa animo gemma reperta meo.

Vir-

Virgo Dei Mater.

ANAGRAMMA.

Tu amore dirige.

V irginei laus prima chori, Matérque T onantis,
I mpia quã domina Phlegetontis turba V eretur,
R ectricemq́; vocant patriæ cælestis A lumni,
G loria Ierusalem, Mundi Regina M ARIA,
O mnia, ius cedente Deo, quæ continet O rbis,
D irigis, & meritò mundus tibi tradita R egna
E t tua sceptra colit. Quiuis vt ment E serenâ
I mperio parens cupiat se subdere, D iuo
M ater amore regas. Est optima norma I ubendi,
A d se corda hominum vero compelle R e amore.
T e pia Virgo precor, tali me dir I ge normâ,
E t quæ nectit amor, me fortia vincla G ubernent,
R egna quibus merear post mortem scãd E re cæli.

Sancta Maria Mater Dei.

ANAGRAMMA.

Casta anima mirè ardet.

CAstæ animæ quàm castus amor, quã mirus & ar-(dor!
Non sentit Scyticas Bystoniasq́; niues.
Sancta Dei Mater castâ dum mente refulget,
Penè suo nimiùm soluitur igne flagrans.

San-

Sancta Maria Dei genitrix.

ANAGRAMMA.

Regina existit ac miranda.

ONusta gemmis, queis diademata
Mordent capillos, fama potentiam
Quid Principum tantùm laboras
Aonijs celebrare plectris?
Vtrumne maior nulla potentia
Regum coronis est tibi cognita?
Digni MARIÆ *num potestas*
Maior habet titulos honoris?
Hæc Virgo in omnes imperium obtinet
Regina *mundi: nota fauoribus*
Miranda *regnat, subditorum*
Vsquè animos bonitate flectens.
Est maior Esther; Bersabeæ inclytos
Miranda *fasces hæc superat, Dei*
Regina *Mater, totus Orbis*
Quam meritò dominam veretur.
Maiora dicam: Tanta potentia
Extat MARIÆ, *sidereæ domus*
Supremus vt rector Parentis
Imperio sua sceptra subdat.

Mater Iesu.

ANAGRAMMA.

Tu mea eris.

Di-

DIceris, & meritò, Virgo tu Mater IESV;
Sed mea, si lubeat, tu quoque Mater eris.
Tu mea Mater eris, cupio dum filius esse,
Dumq; piâ obsequium reddere mente volo.
Tu mea Mater eris, pro quâ nil ferre recuso:
Mors mihi dulcis erit, dum mea Mater eris.

Mater Iesu.

ANAGRAMMA.

Es vti Mare.

STella MARIA maris non tantùm cerneris esse,
Sed magis es veluti tu pia Virgo Mare.
Vt Mare fundit aquas, cœli sic munera præbes:
Est etenim meriti gratia tanta tui.

Virgo Mater Iesu.

ANAGRAMMA.

Ver viget amoris.

V er vbi perpetuum Zephyro perflante **V** irorem
I nducit, roseum Florâ linquent **E** cubile,
R idet ager, vestitur humus, producit u **R** herba,
G emma tumet vitis, decoratur frondib **V** s arbor.
O mnia tunc florẽt, capiunt tunc cũcta v **I** rorem.
M ellis apes grauidæ fragrantia dona **G** erentes
A era peruolitant, implent vel nectar **E** cellas.
T ale Dei Matris tempus Ver gigni **T** amoris.
E xornant animi virtutum lili **A** campum,
R ecreat huncq; suo diuinum Pneu **M** a flabello.
I llic Assirium pietas emittit **O** dorem,
E ducitque suos læto cum germine f **R** uctus.
S ic viget, & veri similis mens Virgin **I** s extat;
V ernat amore Dei, nec non manet vsq; **S** erena.

San-

Sancta virgo Maria Mater Iesu.

ANAGRAMMA.

Etiam micans ea surgit aurora.

VNdis priusquàm luce perfectâ micans,
Radijs coruscum Cynthius tollit caput,
Equósque Diuâ Nectaris pastos dape,
Ignem vomentes naribus, plaustris liget,
Solitóque cursu deuehat terris diem,
Euecta croceis Memnonis Mater rotis,
Varijs polorum floribus plenas fores
Aurora *pandens, obuios cœli mouet*
Venusta gressus; eius aduentu nigrâ
Fugiente nocte Phosphorus stellas leui
Fugat flagello. Redditur terris iubar,
Luménque maius. Tota tunc leui madet
Tellus pruinâ, Quilibet somnum excutit,
Suamq; promptus lucis ad primum iubar
Aggreditur artem. Cuncta recreantur, suos
Vt vecta bigis exerit vultus Eös.
Sic ante Solis quàm vices CHRISTVS *gerens*
Dominator Orbis, patrio lapsus sinu
Suas per omnem spargeret mundum faces,
Aurora *veluti cœpit vt vitâ frui*
MARIA *cœli fulgidas pandens fores*
Terris refulsit, tetra tunc cessit nouo
Imago noctis lumini; subitò procul
Fugêre tenebræ, quidquid & primus Parens
Inuexit Orbi sceleris, hâc fugit retró
Veniente luce, ménsque diuino fuit

Sic

Sic madida rore, fuerit ut ſtatim ferax
Virtutis actus Verna non ſurgens Eôs
Tam grata profert tempora, ut fuit dies
Quâ Virgo Nati prævia ad lucem micans
Aurora toti contulit mundo iubar.